

repetatur ex catechismo reuerendi Doctoris Lutheri.¹⁸⁹ Ideo autem panem nominamus, vt significetur mediocritas inter nimiam opulentiam et extremam inopiam. „Nostrum“ dicimus, vt moneamur de αὐταρκείᾳ, id est, vt contenti simus eo, quod nobis datur, non inhiemus alienis, quia Deus dißimiliter distribuit bona corporalia, neque eadem dat omnibus, neque eodem modo. Alterum epitheton „quotidianus“, ἐπιούσιος, si- 5 gnificat continuum aliquid, quo per dies singulos indigemus, quamdui hic viuimus, ab ἐπιούσαι, quod significat diem crastinam seu postridianam. Voce „hodie“ monemur de breuitate vitae humanae et de fide acquiescente in praesentibus bonis et vetante curam prophanam et ethnicam de futuris incertis.

[103:] Quae est ergo sententia quartae petitionis?

10

Petimus victum, valetudinem, successum in laboribus, ^ofelicem gubernationem, ^opacem, foecunditatem terrae, felicitatem coniugij et liberorum et quae- cunque sunt vitae et vocationis nostrae adminicula. Deinde deprecamur in- gratitudinem non agnoscentem haec dona Dei aut abutentem ijs: auariciam, 15 curam prophanam, tentationes et laqueos diaboli, in quos incident, qui volunt ditescere. Item vt depellant a nobis fames, pestis, bella, morbi,^p noxiae tempestates, infelicitas politiae et oeconomiae.

Explica quintam petitionem.^q

Remitte nobis debita nostra sicut et nos remittimus debitoribus nostris. „De- 20 bita“ sunt peccata, quibus Deum offendimus, et iram aeternam meremur, quia vt debita ciuiliter obligant ad solutionem, ita semper reatus coniunctus est cum peccato, nisi

^{o-o} bonum regimen: E.

^p Nicht in G.

^q Holzschnitt: Der Schalksknecht (Mt 18,21–35): B.

¹⁸⁹ Vgl. die Aufzählung der Dinge, die „zur Leibsnahrung und -notdurft“ gehören in der Erklärung der vierten Bitte des Vaterunser in: Martin Luther, Der kleine Katechismus. Das Vaterunser, 14, in: BSLK 514,4–10.